d 4

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA,

UT SESE HABUIT IN NOSOCOMII REGII EDINENSIS CUBICULIS CLINICIS AESTATE ANNI 1820.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA,

UT SESE HABUIT IN NOSOCOMII REGII EDINENSIS CUBICULIS CLINICIS AESTATE ANNI 1820,

CURANTE JACOBO HOME, M. D.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MERION M. MORIARTY,

HIBERNUS,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1821.

VIRO EXIMIO,

JACOBO HOME, M. D.

MEDICINAE PRACTICAE

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI DIGNISSIMO,

VIRTUTIBUS PUBLICIS AC PRIVATIS

PARITER INSIGNI,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

IN SE BENIGNISSIME COLLATA,

ET PROPTER SUMMOS FRUCTUS

AB EJUS

PRAECEPTIS ET MONITIS DERIVATOS,

DUM IN

NOSOCOMIO HUJUS URBIS

CLERICUS CLINICUS EI MINISTRAVIT,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI

TENUE TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

NECNON,

VIRO OPTIMO,

ROBERTO GRAHAM, M. D.

REI BOTANICAE

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI ORNATISSIMO,

CUI

MULTA BENEFICIA,

ET MONITA UTILISSIMA,

DUM

AEGRIS IN NOSOCOMIO EDINENSI

EI DEMANDATIS,

CLERICUS CLINICUS INTERFUIT,

ACCEPTA REFERRE DEBET,

HANC OCCASIONEM

GRATIAS PERSOLVENDI,

LUBENTISSIME ARRIPIT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA,

UT SESE HABUIT IN NOSOCOMII REGII EDINENSIS CUBICULIS CLINICIS AESTATE ANNI 1820.

QUICUNQUE morborum commentarios apud nosocomia servatos vel leviter evolverit, ei protinus manifestum erit, febrem forma diversam subinde incidere, more variantem modoque, frequentem plus minus, prout finxerint eam et mutaverint propria regionum, diversaque, multa sensibus nostris satis obvia, quorumque rationem reddi minime necesse sit, nonnulla etiam involuta tenebris, imo saepe nullo explicata mo-

do, neque ideo tamen effectus suos pariendi minus certa.

Si quis primo intuitu miretur febrem sese propagantem inter populum hujus urbis, id illi non amplius mirandum videbitur, si animum adverterit hujusce mali, cum excitandi, tum longe lateque diffundendi, causas certissimas extemplo sese offerre. Nam inter pauperes in hoc, haud secus ac in caeteris oppidis amplis aerumnae gravissimae sunt :—corpus haud nutrimento satis refectum, assidueque subitis coeli vicissitudinibus expositum, — vestimentorum defectus,—et mens anxia, rationis vitam sustentandi incertae indivisa comes. Huc accedunt cubicula quae habitat conditionis infimae plebecula ; ista quidem miserrima, atque pro turba angustissima sunt ; tecta quoque praealta, et eorum ordines inter se nimis propinqui et angusti ; liberum aëris perflatum prohibentes.

Febris quae, triennium jam elapsum, nempe per annos 1817, 1818, 1819, inter populos regni hujus saevierat, aliquandiu fuit remittens, ad-

missique in Nosocomium Regale numero haud plures extiterunt, quam circa hoc anni tempus solet.

Cubicula quae in Nosocomio nomine proprio Clinica nuncupantur, lectulos viginti octo continent, quorum octo, nimirum quatuor in singulorum cubiculorum medio, febricitantibus dediti fuerunt. Hi ab aegris reliquis separati sunt, claustro ligneo interposito, spatio tamen ejusdem aperto, qua laquear proprius spectat. In haec cubicula recipitur lux e quatuor fenestris, quae singulae apice suo fere demissae pendent; quo melius ingressae salubres aurae aegrotos refrigerent, beneficiaque sua ibidem praestent. Quin et haec loca tegulis constrata, quotidie mane mundandi, fumisque medicatis purificandi, mos est. Neque ullo forsitan solatio eadem carent, quod edificii structura sinat.

Octoginta quatuor aegri in cubicula clinica mensibus Maio, Junio, Julioque anno 1820 recepti erant, mares nempe quadraginta quinque, foeminae triginta novem. Ex his febre continua viginti duo laborabant, foeminae scilicet

duodecim, viri decem. Quod solummodo refero, neque inde ex numero hominum tam exiguo concludere oportet, hunc, potius quam illum, sexum, ad hoc malum existere procliviorem.

Quando mihi quidem ab omni disputatione de causa febris proxima abstinere, neque rationes ejusdem latentes perscrutari, neque theoriam ullam tradere, propositum est; exponere sufficit, saepenumero, in hoc genere morborum observatum esse, facta quaedam certa eventus certos sequi. Insuper, cum in omni febris exemplo probe perspectae atque exploratae, uti admodum verisimile est, demonstrari possit, eam quasdam ex causis mox commemorandis secutam fuisse, neque febrem sine harum nonnullis praegressis fere unquam comparere, non solum rationi maxime consentaneum, sed revera certo affirmari potest, homines iisdem causis objectos exinde neque aliunde malo ingruenti opportunos existere. Ad has causas referenda sunt, quaecumque eo tendunt ut enervent corpus—nimia scilicet ejusdem exercitatio—intem-

perantia omnigena—rerum vitae necessarium insolita et summa inopia—vicissitudines tempestatis subitae—literatorum studia nimis intensa—mentis anxietas—aëris effluviis corrupti nocivis respiratio—prae omnibus autem contagium.

Medici quidam in dubium vocant, an contagio serpat febris, necne. Hoc argumentum neque plenius tractare, neque documenta, quae id affirmant, jam multiplicata, jamque indies nobis magis perspecta, adjunctis aliis cumulare mihi in animo est; tamen in hujus opusculi decursu ad quaedam observata ex mutuo aegrorum commercio facile oritura breviter advertere liceat. Interea, igitur, hoc mihi concedi peto, (quod medicos rerum hujusmodi satis peritos haud injuria petitum arbitraturos spero) febrem, simulatque genita est, ex natura sua contagio semet diffundere, sive hoc, sive causis aliis primo exorta fuerit.

Quod si junior quisquam, aliter ac CULLENUS, de hoc argumento senserit, certe, non nisi re bene perpensa agendum erit, et sane, si mea

sententia aliorum suffragiis non suffulta esset, de ea in medium proferenda dubius haererem. Quemque tamen veri indagatorem constantem probumque, quidquid ipsi liquide constat, non minus fortiter quam modeste asserere et vindicare decet. Ergo profitendum est, si typhus et synocha, quales a CULLENO descriptae sunt, revera existant, eas mihi nondum occurrisse; ab harum alterutra certe nemo ex aegris nostris laborabat, Professorumque GREGORII, HOMII, atque DUNCANI junioris auctoritate freti, easdem usquam comparere in dubium merito vocaremus. Quod ad limites attinet, qui typhum a synocho disjungunt, ipse quidem fatetur CULLENUS, eos non nisi difficile posse designari.

Morbus, de quo agimus, ad CULLENI Synochum plane pertinet. Cum tamen faciem diversam indueret, in species dividatur oportet. Etenim in aliis inflammatoria signa ardebant magis atque perstabant diutius, alii autem in speciem nervosam citius delapsi fuerunt. Quae cum probe notanda sint discrimina, hanc materiam sic persequar, ut in synochi genere spe-

cies hae, inflammatoria nimirum, pura, atque nervosa, liquide a se invicem distinguantur. Harum singularum exemplum traditum rem melius forsitan exponet.

SYNOCHI INFLAMMATORIÆ EXEMPLUM.

Thos. Duff, operarius, anno aet. 22, die Maii 12. in Nosocomium admissus est. De capitis dolore, et pone sternum, tussi atque debilitate conquestus est; arteriarum pulsus 102, duri; gradu caloris centesimo secundo; respiratione celeri; lingua albida; facie rubescente; urina subrubra; alvo haud abnormi. Mensis ejusdem die octavo, hora post meridiem undecima, horas multas imbribus expositum horrores invasere; quos haecce indicia brevi sunt secuta. Die nono atque decimo cathartica sumpta; 10. et 11. sanguinem sibi detrahi passus est, nec ullum inde malorum provenit levamen.

Habeat catharticum cras ex sulp. mag. ℥ j.

13mo mensis die, 5to febris die.

Nocte tussi gravi vexatus erat; sputi nihil; thoracis et capitis dolor non imminutus; pulsus 102, pleni, validi, quasi oppressi; lingua perquam albida; gradus caloris 103; urina subrubra; dejectiones quatuor naturales.

Statim mitt. sang. secundum effectum.
Inhalet aquae tepidae vapores.
Adhibeat. vesicat. sterno.

Hora 8va P. M.—Sanguis statim ad ℥ xxx missus, tunicam coriaceam prae se ferebat. Pulsus 102, molles, gradus caloris 103½; respiratio signaque caetera plurimum sublevata.

14. *mensis die*, 6. *febris die.*

Epispasticum bene respondebat; pulsus 78, firmi; gradus caloris 99½; lingua albida; urina nebulosa; sudor levis.

15. *mensis die*, 7. *febris die.*

Pulsus 60, firmi; gradus caloris 98. Alvus satis soluta. Jamque in statu convalescentis fuit. Quinque postea diebus sanatus dimittitur.

Exinde synochi purae exemplum tradere pergo.

Gulielmus Taylor, faber lignarius, temperamento cholerico, anno aetatis 29, die Junii 12. receptus est. Capitis dolore et lateris sinistri ad scapulam retrotendente, nihil sub spiritum plenius tractum aucto, affectus. Nulla ei tussis erat; pulsus 84, oppressi; caloris gradus 105; respirationes 36; lingua albida; facies ultra modum rubra; cutis arida; alvus adstricta; nulla cibi appetentia. Contagio objectum corripuere die mensis 2ndo rigores, nausea, capitisque dolor, nec ille tamen medicamenti quidquam sumpserat.

Statim mitt. sang. ad ℥ xvi. vel plures, si bene ferant vires.

Sumat bolum ex submur. hyd. et jalap. et c. m. infus. sennae si opus sit.

Adhibeat. vesicat. lateri.

Utat. lavationibus tepidis assidue per noctem.

13. *mensis*, 11. *febris die.*

Sanguine ad ℥ xij. emisso, animi deliquium

supervenit. Tunicam colore corii simillimam ille ostendit; thoracis nullus dolor est; tussis nulla; dolor lateris sublevatus; vesicatorium non adhibitum; pulsus 78, pleni; gradus caloris 103; alvus a catharticis ter dejecta; cutis madida.

R. Tartrat. antimon. et potass. gr. iv.
Aquae, ℥ viij.
Syrup. simplicis, ℥ j. s.
Sumat unciam tertia quaque hora.
Utat. lavat. tepid. aucto calore.

H. 8*va* *P. M.*—Nausea multa adest.

Omit. mist. e tartrat. antimonii.
Stat. utat. pediluvio.
R. Aquae acet. ammon.
Aquae ā ā ℥ viij.
Syrup. ℥ j. M. Uncia tertia quaque hora sumenda.

14. *mensis,* 12. *febris die.*

Sudor nullus, nec capitis nec thoracis dolor; tussis nulla; lingua perquam albida; sitis; pulsus 88, validi; caloris gradus 104; cutis calida et valde arida; urina admodum turbida, et sedimentum demittens.

Contin. omnia.
Inhalet aquae vapores.
Habeat cerevisiam tenuem.

H. 8. *P. M.*—Pulsus 90, pleni, validi; caloris gradus 106; capitis dolor ingens; urinae sedimentum.

Statim sit v. s. secundum effectum.
Abradatur capillitium.
Contin. lavat. tepid.

Interea, malo perstante, pulsus ab octoginta ad nonaginta sex numero variabant. Nullus partis cujusvis dolor, nulla mentis alienatio, totius vero corporis molestia summa. Die decimo quarto in conspectum venere petechiae, et ad decimum nonum usque haesere, cum penitus e cute recesserint. Vigesimo cuncta sudor urgentia signa solvit. Vigesimo quarto convalescens habetur. Die ab ineunte morbo trigesimo nono corpore sano abiit, postquam in Nosocomio septimanas quatuor versatus erat. Curando subveniebant hirudines, antimonium, cathartica, lavatio tepida, potus e frugibus acidi, &c.

Proximum est ut exemplo illustretur tertia synochi species, in qua, curriculo inflammationis absoluto, genus nervosum citius deprimi incipiebat, eoque statu res erat, quo ad mentem alienam nonnihil propenderet. Hoc tamen signum ad istam speciem a caeteris dignoscendam valere neutiquam arbitror; namque in omni morbi varietate occurrere potest; nec sane insolitum est.

Archibaldus Menzies, aet. 35, die Maii 11. in Nosocomium admissus, capite aeque ac thorace intus dolente, tussi arida malum pectoris aggravante; dolore regionum epigastrii et umbilici, pressura aucto, artuum dolore, atque debilitate laborabat; sitis ingens erat; pulsus 120, pleni; caloris gradus $102\frac{1}{2}$; respirationes 36; cutis calida, sicca; lingua sordida; spiritus coarctatus; vultus anxius. Malis ejus rigores tertio mensis praeivere; cathartica nono sumpta alvum satis dejecerunt. Contagio objectus fuerat.

Sit v. s. ad ℥ xvi. vel plures, secundum effectum.
Appl. vesicat. pectori. C. M. Cathart. ex submur. hyd. et jalap.

12. *mensis*, 10. *febris die.*

Sanguis ad ℥ xviij. missus vasi adhaeret, neque albescit; dolor cum capitis tum thoracis, et tussis sublevati; caput inter tussiendum dolet; lingua valde albida; sitis gravis; alvus bis dejecta viridissima; vesicatorium operando votis respondit, pectorique laboranti subvenit; urina ruberrima; pulsus 124, paulo debiliores; gradus caloris 102; petechiae super dorsum apparent.

Contin. cathart. ex infus. sennae ad alvum plene solvendam, et
Admoveant. hirud. x capiti, postea gelida.

13. *mensis*, 11. *febris die.*

Nox molesta; tussis; debilitas gravis; capitis dolor, hirudinum ope imminutus, verum acris adhuc; lingua albida; pulsus 120, debiles; caloris gradus 102; petechiae plures super

thoracem dorsumque se ostendunt; crebrae alvi dejectiones.

Utat. mist. salina.

14. *mensis*, 12. *febris die.*

Nocte secunda, ad somnum proclivitas; neque pectoris neque capitis dolor, nisi urgente tussi, adest. Lingua minus sordida. Pulsus 96, debiles; urina limpida; dejectiones duae.

Repet. mist. salina.
Cras, cathart. ex sulph. magnesiae.

Hora 8va *P. M.*—Dejectio nulla; pulsus 108; gradus caloris 104.

15. *mensis*, 13. *febris die.*

Nox inquieta; catharticum errore omissum; pulsus 94, aliquantum debiles; caloris gradus 101; dolor apud cordis scrobiculum; urina rubra.

Sumat bolum ex submur. hyd. et jalap. et ni post horas tres bene responderit alvus, infus. sennae, m. s.

Hora 8va *P. M.*—Pulsus 104; gradus caloris 101½; dejectio una.

16. *mensis*, 14. *febris die.*

Nox adversa; dejectiones sex; pulsus 90, haud debiles; lingua minus sordida; levis capitis dolor; de debilitate conqueritur.

Applicet. frigida capiti, cui si dolor vespere increverit, iterum imponantur hirudines.

Capiti dolenti per hirudines subventum est, restitutaque sensim sanitas. Die decimo septimo convalescere renunciatus; vigesimo septimo dimissus est, remediis solitis exhibitis.

Ex aegris nostris viginti duos febre correptos esse jam antea traditum est. Horum decem, videlicet, Carolus Grant, Maria Grant, Joannes Grant, Archibaldus Menzies, Eliza Stewart, Jacobus Stewart, Gulielmus Taylor, Jacobus Rae, Gulielmus Wilson, Christian Brown, et Jana Nichol, hoc malo a contagione impliciti erant. Ex his primum et tertium fratres esse, primum et secundam, pariter ac quintam et sextum, maritum et uxorem fuisse, observare licet. Interea, si quis febri, quae contagio serpere evidentissime mihi demonstratur,

objectatus, posthac febricitaverit, minime dicere vellem, causam hujus mali excitantem necessario in contagio ponendam esse; id autem in tali exemplo valuisse profecto verisimillimum est; quod et in omnibus nostris supra commemoratis accidisse eo magis credendum est, quo multi alii ejusdem periculi simul participes casum eundem tulerant.

Quin et septem ex nostris erant Joannes Hayne scilicet, Gulielmus Wilson, Robertus Gillon, Maria Scott, Catherina Robertson, Jana Ewen, et Jana Pace, quorum causa mali nos omnino fugiebat, propterea quod illi se contagioni aut ulli alii febris irritamento oblatos nescirent.

Hi quatuor, Thomas Duff nempe, Jessie Chalmers, Barbara Mackenzie, et Maria Stirling, reperti sunt, quorum mala ad humorem frigusque corpori applicata referenda esse constaret.

Margaretta Wilkinson quidem ab opio copia nimia sumpto, ut verisimile est, in morbum inciderat; quippe cui signa talia essent,

qualia casum istiusmodi sequerentur. Res insuper eo magis in suspicionem veniebat, quo mulier demissa, paucis postea diebus, ad Nosocomium reducta est, malis liquidissime conflictans, quae medicamen istud largius devoratum gigneret.

Jamque aegros nostros ex signis in classes distribuere pergo. In prima, omnes synocha inflammatoria affecti, nempe, Thomas Duff, Joannes Hayne, Catherina Robertson, Jessie Chalmers, Barbara Mackenzie, Jana Nichol, Maria Scott, Jana Pace, comprehendantur. Hic numerus partem omnium tertiam, et paulo plus, efficit.

In classe secunda, sub synochi purae specie octo quoque, scilicet, Gulielmus Taylor, Carolus Grant, Maria Grant, Joannes Grant, Robertus Gillen, Christian Brown, Gulielmus Wilson, et Maria Stirling sunt collocandi.

In classe ultima continebuntur ii qui synocho nervoso laboravere, nempe, Archibaldus Menzies, Jacobus Rae, Jacobus Stewart,

et ELIZA STEWART. Quod ad exemplum MARGARETTAE WILKINSON attinet, id omnino abnorme erat; eamque ex opio largius sumpto aegrescere, uti jam dictum est, ratio credendi fuit. Eandem, autem, si certae ex his classibus uni inserere necesse foret, ad primam referri placeret. Neque silentio praetereunda est JANAE EWAN febris, quae extra viam declinavit, inque formam, nullo certo cursu, remittentis transiit.

Jamque aegrotis nostris pro ratione signorum dispositis, quaedam corporis organa malo imprimis laesa, ordine atque sigillatim memorare aggrediar; quamvis hoc non nisi brevissime agi limites tentamini meo appositi sinant.

Capitis dolor aegrotis paene universis classium singularum superveniebat. In prima classe is fere minus acris, et proclivitas ad delirium minor, quam in secunda notabantur; tertiaeque graviora adhuc extabant.

In classe unaquaque occurrebat tinnitus au-

rium, vertigo, intolerantia lucis; haud ita sopor iste profundus coma dictus.

In exemplis tribus surditas observata; ominis secundi reputata est, quippe quae circa crisin inciderit.

In MARIA SCOTT, atque JESSIE CHALMERS, synocha inflammatoria laborantibus, uvula tonsillaeque inflammatas se ostenderunt.

Multos, classis secundae potissimum, tertiaeque, dolor dorsi urgebat.

Aegris classium omnium pulmones male afficiebantur; at generis hujus signa graviora primam profecto premebant, in qua organi illius functiones laesae caeteris mali notis multum supereminebant.

In regionibus epigastrii atque umbilici dolor, qui ventriculum alvumque vehementer perturbari indicabat, paene universis erat; idem vero classi secundae tertiaeque magis quam primae acris; atque ut in hac pulmones, ita in illis intestina ventriculusque curam nostram praecipuam sibi deposcebant.

Nausea, ineunte malo, cunctis communiter

fere infesta aderat; tribus, Nosocomium nondum ingressis, cum vomitu conjuncta ingruerat. Alvi fluxus minime occurrebat. Ea adstricta, quocumque mali statu, quocumque curriculo, in plurimis reperiebatur, quae, ut teneretur soluta, catharticis assidue opus erat. Ejusdem strigmenta plerumque fusca, haud infrequenter coloris viridis; tum vero purgantia subveniebant acriora usque, dum illa faciem sanam induerint.

Arteriarum pulsus plus minus frequentes erant, a centum quadraginta octo, qui plurimi extabant, ad sexaginta, qui (morbo manente) paucissimi numerabantur; quamvis homini, Taylor nomine, jam convalescenti, ad quadraginta quatuor etiam descenderint. Iidem tamen longe ultra modum frequentes in classe prima praesertim, tertiaque, magis quam in secunda esse solebant. Quoad vim emicandi valde inter se diversi erant, quod ex historiis jam traditis satis apertum est.

Corporis calor in omnibus valde auctus erat, quippe qui in multis ad gradum thermometri

Fahrenheitiani centesimum sextum perveniret; dum gradus centesimus tertius summum inter et infimum medius maxime solitus forsitan statui possit. In hoc tamen insignes erant mutationes; quod a plenitudine potius quam a frequentia ictus arteriarum pendebat. Calor nempe in TAYLOR atque STEWARTIO maxime flagrabat, cum pulsus octoginta inter et nonaginta essent. Praeterea, quod notatu indignum non est, cum decimo quinto morbi die, calor in TAYLOR ad gradum centesimum sextum surrexisset, ardoremque tactui meo acrem imprimeret, aegroto ipsi frigoris extremi sensus et cutis anserina erant.

Respiratio cunctis ultra modum naturae citata fuit.

Faciem suam urina multum variabat, classis primae ruberrima, multo magis quam caeterarum; in quibus pallida fere, paucis pallidissima usque manebat, dum redux esset sanitas. Turbida facta, sedimentumque coloris lateritii inde demissum, signis aliis morbi decedentis interdum comitantibus, statu nimirum linguae vel

cutis in melius verso, crisin adesse plerumque monstrabant. Neque tamen silentio praetereundum est, urinam trium cito ab initio morbi turbidam se obtulisse, nulla nota valetudinis factae melioris simul comparente; indiciis pejoribus potius subsecuturis, qualiter in Carolo Grant et Gulielmo Taylor evenit. Quin et hujus fluidi in classe alia atque alia gravitas specifica, ut suspicari licet, diversa extabat, quippe quae, febre flagrante, in lotio Menziei synocho nervoso laborantis, mille decem; in Duffei, autem, inflammatoria affecti, mille viginti unum attigerit. Verum animum ad hanc rem non ita satis advertimus, ut aliquid certi inde stabilire liceat. Inde attentionem meam casu quovis abstractam multum doleo, nempe, qui aliquid pretii non parvi, ad summam pathologiae accessurum illinc erui posse putem. Hic forsitan nequaquam ineptum esset monere, cura nobis magna explorandum esse, an rite reddatur urina, an intra vesicam ultra modum retineatur. Aegroti classis secundae tertiaeque affectu suo sic comparati sunt, ut hanc rem

facillime negligant; neque omnino infrequens est, ut aegrotantes ad hoc advertendi nullo compotes modo existant. Neque nobis interea animo elabi debet; exempla memoriae prodita esse, ubi a rei tantae incuria factum est, ut miseros miris modis mors crudeliter rapuerit.

Status cutis varietates quosdam ostendebat, non alias tamen ac quae in graviter febricitantibus apparere solent. Color ejusdem in fuscum, vel maculis aspersum mutatus, in exemplis quibusdam classis secundae tertiaeque conspiciebatur. Petechiae, et numero plurimae erant, et in aegrotorum plurimis, neque nisi intra classem secundam tertiamque observatae occurrebant. Corporis superficies, paucis exceptis, arida fere manebat, donec crisis se secunda intulerit. Papularum eruptio lichen simplex dicta, in tribus convalescentium se obtulit.

Lingua varie afficiebatur; initio fere albida, decursu mali fusca vel scabra pro signorum gravitate fiebat. Quae, quo magis statu sano remota erat, eo magis eam sitis torrebat. Aegrotantibus acrius in classe secunda tertiaque, eandem

ex ore protrudendi difficultas summa, imo etiam impotentia aliquando erat. Quin et species organi hujus, eadem constanter servata, sive albida fuerit illa, fusca, scabrave, caeteris paribus minus periculi indicabat, quam ea hic illic varie sui dissimilis.

Tempus quod durabat morbus varium erat. Gilleno triduum tantum aegrotanti brevissimum ; Nicholo dies quadraginta quatuor male habenti longissimum ; medium tempus dies circiter quindecim computetur.

Crisis in aegris decem observata ; in diem quartum, septimum, undecimum, quintum decimum, et septimum decimum, incidit, urinae mutatione, ad somnum propensione vel diaphoresi notabilis ; comitabantur eandem fere, vel illico subsequebantur corporis calor imminutus, pulsusque minus frequens. In aliis vero, crisis comparebat nulla, signaque gradatim recedebant, donec tandem restaurata sit sanitas. Hic forsitan haud alienum foret monere, diem morbi secundum nunquam computatum esse nobis, antequam horae viginti quatuor effluxissent.

Cujus rei statuendae accuratio minor dubitationem, ut mihi videtur, valde incommodam huc saepe induxit.

In paucis nostrorum, MENZIES nimirum CAROLO, MARIA, et JOANNI GRANT, JACOBO et ELIZA STEWART, TAYLOR, RAE, et NICHOL, prognosis valde infausta extabat. Signa pessima classis secundae, tertiaeque potissimum, sed non ex omni parte erant. In pluribus tamen nihil in conspectum venit, unde eventus lethalis tandem futuri conjectura, nobis verisimilis surgeret. In malo, autem, mutationibus tam frequentibus tamque exitialibus opportuno, prognosis quam cautissime tradatur semper oportet.

In omnibus hujus febris exemplis, eventus erat felix; aegri, quo graviorem morbum magisque diutinum experti fuerant, eo aegrius fere atque tardius convalescebant. Quin et revalescentibus cura medicorum paene tanta, quanta acriter febricitantibus adhibenda erat. Nam accidit fere, ut facillime quis in malum relabatur, ex causis levissimis temere admotis, videli-

cet, a statu intestinorum parum curato, a vicissitudinibus coeli subitis, adeo ut id ipsum nimis praecavere vix possimus. Praeterea, corporis viribus primo morbi impetu magnopere attenuatis, secundum sustinere multo gravius erit. Quod quidem re facta satis confirmatur; dum plures, in morbum iterum relabendo quam prima vice aegrotando, occumbant. Quinque ex nostris iterato in malum lapsu correpti sunt, qui tamen exitu minime funesto tandem evaserunt.

In exemplis quibusdam classis primae praesertim, diagnosis haud facile profecto statuebatur, ubi febrem a pneumonia distinguendi indicia nequaquam satis obvia erant. Quod rei practicae, parum interest, quippe quia curatione eadem, antiphlogistica nimirum actuosissima in utroque malo, quemadmodum arbitror, omnino est opus. In caeteris aegris signa, quibus niteretur diagnosis, satis aperta se offerebant.

REMEDIA,

Et ad cursum febris protinus abrumpendum, et ad notas ejusdem leviores efficiendas, adhibebantur. Illud primum forsitan non nisi ineunte morbo, id est, intra dies septem ab ejus initio numerandos, perfici potest. Quod quidem generaliter verum repertum iri credo, quanquam nullus dubito, quin exempla occurrerint, ubi auxiliis praevalidis, malum jam longius progrediens, subito erat sublatum.

Sanguinis Missio.

Hoc remedium fere convenire universi jam fatentur, quod nonnulli adeo non negavere, ut dum Charybdim vitare cuperent in Scyllam incidisse, mihi videantur; alioquin sanguinis uncias quinquaginta febricitantibus una vice minime detraxissent. Jamque pro explorato est, auxilium hoc omni morbi tempore omnique fere statu, tuto et utiliter usurpari posse. Ad idem vi sua valentissimum, multorum ratio ante habenda est, quam nosmet conferamus, quippe

quod imprudenter adhibitum, perniciosissima inducere queat. Generaliter observare datur, quo aëri puriori assuevit aeger, eo magis sanguinis detractionem illi necessariam esse, faciliusque ferendam. Hac ratione rusticus sanguinem sibi detrahi caeteris paribus melius patietur, quam cui vita sedentaria, in hujus urbis angiportu acta. Multum quoque pendet a causa, unde inducta est febris; quae, si frigore atque humore exorta est, tum graves inflammationis notas fere ostendit, et ea sanguinis missionem non modo facilius tolerat quam quis tertiae classis nostrae; sed auxilium omni exemplo periculoso id esse etiam judico, in quo, febricitantis vita vertatur. Idemque tutius eo, speique majoris merito reputatur esse, quo minus temporis intervallum ab origine mali intervenerit. In quo quidem multorum ratio habenda est, qualia nimirum sunt, aetas decumbentis et sexus, causa mali excitans, corporis constitutio singulis propria. Quinetiam, pulsus frequentia, plenitudo, duritia, calor auctus, sanguis plus justo ad partem quamvis fluens, facies rubes-

cens, delirium actione aucta arteriarum, vel sanguine in venis congesto exortum, thoracis phlegmona vel abdominis, cum febriculae curriculo cuivis ingruant, sanguinem detrahi justissimis de causis suadent. Si facies sanguinis albescat, copiam denuo extrahendam minime per se statuit; hoc autem profecto suadet, ut quae sit singulorum corporis organorum conditio, quam accuratissime nobis exploratum habeamus. Neque si facies illa minime abesset, ideo deterrendi sumus ne iterum fiat sanguinis missio, signis aliis eam postulantibus. Quae quidem exigua et saepe repetita in classe secunda tertiaque tutior forsitan esset, quam eadem semel uberius facta; quam tamen in classe prima anteponendam crederem. Eidem detrahendo tempus commodissimum fortasse vespertinum est, sub quod nimirum morbus fere acerbior evadat. Sanguinis detractio quidem omnibus nostris, Gillen et Wilson, qui leviter aegrotabant exceptis, auxilio venit, commodo inde in singulis manifesto, maloque in duobus, Duff videlicet et Hayne, subito cessante. Quo auxilio,

si quibus morbi cursus neutiquam abruptus esset, in illis tamen extemplo vel brevi postea fere factum est, ut vis pulsus atque frequentia, corporis calor, et cutis summae siccitas imminuerentur; capitisque dolor, pulmonumque et abdominis mala simul lenirentur.

Hirudinum Usus.

Parte quavis singulari laesa, sanguinis detractio, specialis dicta, saepe necessaria est, eique rei hirudines usui sunt maximo; omnibus nostris admotae mala, quibus occurrebant, leviora semper fecerunt.

Sanguini extracto facies admodum varia; in classe prima fere albida formaeque concavae; in classe secunda tertiaque tunica minus albida, quam in prima cernebatur, sero saepe turbido, eoque magis quo febris gravior existebat.

Lavatio frigida.

Lavatio frigida aegris quinque solummodo adhibita, nimirum, ne quid inde detrimenti per mala pectoris praevalida oriretur, neque parti

alii nisi capiti admota, multum beneficii praestabat, acri capitis dolore, proclivitate ad delirium, aurium tinnitu, atque vertigine, pariter sublevatis.

Lavatio tepida.

Lavatio tepida cunctis subveniebat; neque revera magis proderat, quam sensus aegrotantium delectabit. Hoc auxilio aucta vasculorum actio atque calor morbosus multo minores fiebant; diaphoretica velocius operabantur, proclivitas ad somnum inducebatur, cutisque bene abstersa efficiebat, ut, contagium mali caeteris minus noceret, quod inter minima hujus remedii beneficia neutiquam ponendum est. Vapores aquae fervidae inhalati pectori in singulis auxilium magnum ferebant.

Vomitoria.

Vomitorium non nisi in uno ex aegris nostris jam admissis usurpatum; quod diem jam secundum febricitanti sumptum nihil in morbum profecit; qui quidem in aegris in Nosocomia re-

ceptis adeo provectus esse solet, ut eum vomitoriis statim solvendi conatus sit inanis; neque in casu ullo quidem, nisi notis sat apertis, ventriculum cibi corrupti gravaret onus, medicamina talia, quae actione sua corpus tantopere concutiunt, debilitatumque relinquunt, in usum vocare non dubitarem. Quibus usurpandis plerumque forsitan praeire necesse est missionem sanguinis, ne ejusdem inter vomendum caput versus major fiat impetus.

Cathartica.

Usum catharticorum in omni febris continuae curriculo atque conditione omnes fere ita fatentur, ut quanto commodo sit res, vix monendum videatur. Eadem nostris omnibus exhibebantur, neque cur alii eorum aliud anteponeretur, ratio ulla satis valida suberat. Submuriatis hydrargyri grana quinque cum jalapae quindecim conjuncta primoque saepe sumpta, sulphatis magnesiae aliquid, vel infusi sennae, vel olei ricini auxilio subsequebatur. Pilulae aloes communes, vel hae cum colocynthide convales-

centibus praescribebantur. Medicamina talia strenue adhibita malum Gilleni, secundo die quo instabat illud recepti, in limine primo superatum sustulerunt. Clysteres quoque frequentes ministrati modo triplice succurrebant, alvo nimirum inferiore dejecta, humoribus aquosis ita infusis qui vasis absorbentibus in corpus delati sitim imminuerent, halitumque cutis expedirent; intestinisque etiam, si quid phlegmonae subjaceret, eorundem velut emollientium ope sublevatis.

Diaphoretica.

Diaphoretica omnibus nostris administrata, aliis autem magis quam aliis. Quandocunque pronior ad madescendum vel molescendum videbatur cutis, ea extemplo in usum, atque interdum non sine beneficio, sunt vocata. Interea autem oxidum antimonii, acetas ammoniae, mistura salina diaphoretica Pharmacopœiae Nosocomii, saepius, mistura salina omnibus exhibita.

Emplastra Vesicatoria.

Epispastica ad thoracem, caput, scrobiculum cordis, vel pone aures multis applicata, neque profecto perutilia non erant.

Opium.

Opium nemini ex nostris datum est, neque forsitan unquam dari debet, dum diathesis phlogistica ulla maneat. Fieri tamen potest, ut se offerant exempla, quibus ex eo medicamine exhibito fructus percipiantur felicissimi; in febre, nimirum, quae genus nervosum valde depressum, mente anxia comitante, ostendit, vel ex parte corporis laesa a consensu cietur. Quin et cura sit oportet ut idem portionibus sat magnis praescribatur, alioquin graviter nociturum. Neque in febre continua ante diem ejus nonum unquam forsitan ministrandum est.

Vinum.

Nemini, nisi Joanni Grant, jam convalescenti, vinum concedebatur.

Capilli abrasi.

Aegrotis octo abrasi sunt capilli, sequente inde statim magno malorum levamento. Equidem id ipsum factum uni vel alteri et capitis dolorem levavit, et caetera partis affectae auxilia supervacua reddidit.

Diaeta.

Diaeta quae nostris imperabatur, lactea atque ex farinariis composita erat, qualis in Nosocomio a febre cubantibus conceditur.

Clausula.

Sententia aliquorum, qua asseritur febrem causa certa, puta contagio, oriundam, atque ex aliis in alios propagatam more eodem in singulis progredi, neutiquam comprobatur. Namque febrem in hoc leviorem, thoracis viscera, vel unum ex abdominis potissimum affecisse ; eandem vero cum illo communicatam gravius saeviisse, caput, pulmones, atque abdomen ex ordine, vel haec cuncta simul adortam, eandemque rem vice versa evenisse, haud raro videmus. Ast ubi

constitutio corporis atque temperatio, vitae genus, istiusque modi caetera, sibi in singulis similia existunt, qualiter in familiis usu venit, tum vero malum, quoad formam sibi fere constare, decursum paene eundem habere, crisisque, si qua appareat, tempestate in singulis pari plerumque occurrere cernitur. Exempla quaedam hujus rei in cubiculis clinicis sese prodebant, eademque in casibus trium nomine Grant erat illustris.—His paginis perlectis, fortasse dixerit quispiam me ad universa quaedam statuenda ex singularibus deducta nimis fuisse propensum. At febrem generatim describere neutiquam mihi in animo fuit; solummodo, qualis ea in cubiculis clinicis apparebat. De qua, si quas sententias generales tradiderim, eas ex hoc morbo alia atque alia occasione multum observato profluxisse creditas vellem.

FINIS.